

ces convertitur, ex intimo, ut ait, corde profectas, ut Deus tantum crimen condonet omnibus censura authoribus. Oro, inquit, Deum quam possum ardentissime, nè tantum scelus puniat, quemadmodum sacrilegium excœcari illius Principis (Joachimi Regis Juda) ultus est gravissimis adversus Regem, Regnum, & Regis posteris suppliciis. Quis non miretur tantam Quesnelli charitatem? Sed magis vereor, nè hæc ejus oratio in novum ei vertatur peccatum, quòd de qualibet impiorum oratione post videbimus ab eo perperam assertum. Quesnelli charitas hic, & oratio, est similis Calvinianæ pro avertenda à Pontificiorum mentibus cœcitate, ut lumen videant, quo Calvinus Dei Ecclesiam illustravit. Sed crimen Constitutionis cum pluribus aliis ejusdem Curia excessibus, Quesnello Judice, tantum est, ut magnus eum inceserit metus, nè major illorum sit iniquitas, quam ut pro avertenda ultione exaudiri tam serua sua possit apud Deum deprecatio. Plurimum, inquit, timeo, nè Constitutio illa cum pluribus ejusdem Curia excessibus gravem tandem in suos Authores concitet vindictam.

Pag. 282. ait „ Constitutio adeò nullius ponderis est, ut nè in disceptationem quidem pertrahi valeat, num tutius sit ei obedire, quam resistere. „

Pag. 283. „ Denique Constitutio est effectus passionis: est condita sine ulla causa, sine ratione, solo dominandi Spiritu, & chimerica potestatis Supremæ, absolutæ, arbitrarie præsumptione. Credasne absque Divini Numinis offensâ posse te fovere, tam perniciosâ dogmata, quæ universam pessundatum, & perditum eunt Ecclesiam, peccatum itaque Quesnello est Constitutionis receptio. Hujus peccati reus in primis est Summus Pontifex, rei Cardinales omnes (unum si exceperis) rei Episcopi, & Fideles quicumque Pastoris Supremi mandato obtemperant. Immunes verò à peccato sunt, imò Religiosi Fidei, & Ecclesiæ defensores, qui Constitutionem rejiciunt, perguntque cum Quesnello damnatas omnes propositiones, etiam impias, blasphemias, hæreticas inter tuissima Augustini dogmata, & fidei oracula numerare.

Nunc lectorem, quemlibet Catholicum judicem, rogo, an non illud sit lupum agere sub ovina pelle, & an in toto Constitutionis Exordio verbum sit nimis asperum, adversus tam sacrilegam tenebrionis illius Archi-hæretici perfidiam, atque temeritatem.

Prætermiseram declamationem patheticam, quæ est pag. 276. contra libri sui combustionem priori Pontificis Decreto impera-

tam. Quid nempe horribilius, inquit, quam non solas Observationes cum versione Gallicâ, sed ipsum Sacrosanctum textum versioni, & Observationibus junctum flammis infamibus addicere? Verùm potuitne textus facer à versione, & Observationibus separari? atque ita potuitne ille eximi incendio, dum harum destructionem, nè in posterum nocerent, bonum Ecclesiæ postulabat? Lutherus, Beza, & plures alii Scripturarum interpretes hæretici non ita Scripturas corrupere, quin in pluribus redderint integras. Et quis hæreticorum liber de religione differens, non plurimos textus refert, prout in vulgata Catholica nostra editione reperimur? Ideone libris illis debetur reverentia, ut lacerari nequeant, vel igne aboleri, nè Sacra Verba cum profanis, & hæreticis patiantur? Nec Deus, nec ullus hominum ignorat, combustionis rationem piam esse, ac religiosam, nè scilicet Christiana Fides ac religio in legendum animis pereat, & cum ea fructus Scripturarum ipsiusque Divini Sanguinis, ac Passionis.

Eadem paginâ prior CLEMENTIS XI. Sanctio contra librum Observationum moralium accusatur calumnia atrocis, & cujus nè minima quidem à Censoribus afferri valeat probatio. Nempe Decretum Pontificium in forma Brevis editum declarat, quòd liber Observationum moralium Sacrum ipsum Novi Testamenti textum exhibeat damnabiliter, nec sine ausu temerario vitiatum; Quesnellus autem existimat, aut potius existimare se simulat, dictum istud à Pontifice de textu Latino, non de solo Gallico; quasi versio intelligi nequeat textus nomine. Tum igitur editio nostra vulgata quantumvis authentica, vocari non poterit Sacer Textus, quia pars ejus longè maxima non Latinè primùm conscripta est, sed ex Hebræo, & Græco idiomate in Latinum conversa. Scriptura quidem primigenia, quando versionibus opponitur, magis propriè intelligitur vocabulo Textus Sacri; at ubi versio cum glossis, seu animadversionibus, ut in Decreto illo confertur, tunc usu receptissimo, Scripturæ versio non Latina solum, sed etiam Gallica Sacer Textus, & Scriptura Sacra appellatur, ut discernatur à Notis, seu Observationibus. Non adeò communis usus ignarus est Quesnellus, ut illud exploratum non habeat; sed ignorantia simulanda fuit, ut materia videretur idonea accusationi. Si verò neget Sacrum Textum versione suâ Gallicâ, damnabiliter nec sine ausu temerario vitiatum, sive versionem suam vitii damnabilibus, & temerariis laborare, responsonem convincentem videat cap. 5.

In Constitutionis UNIGENITUS Exordio